

seu Reſtoribus ſuis, pro ſuis Feudis, ſiue Cauallarijs, cum equis ſufficientibus, & aptis ad arma, qui placeant Reſtoribus ſupradictis, & eſt dignum.

VIII. Item, quod Reſtores, & Officiales, et qui per tempora erunt, quocumque nomine nuncupentur, ſiue aliqui de ſua familia, nullo modo, vel ingenio grauare audeant, vel præſumant ciues Corphoi, in capiendò eis violentèr barcas, lectos, vel alia bona; & ſimiliter nullo modo, eis nolentibus, accipere debeant carnes, piſces, fructus, pullos, frumentum, vel ordeum, ſiue alias res eorum; ſed in ſolitis locis, & conſuetis, cum pecunia ſua, emant, vel emi faciant omnia ad vitam ſuam neceſſaria, et opportuna, ſecundum uſum, et conſuetudines, et ſtatuta Patriæ, pro uſu tantum eorum, et non plus prout faciunt aliæ perſonæ extraneæ, et communes, uolentibus ipſis Corphiensibus uendere, ut eſt dictum: uerum ſi uendere noluerint, nullo modo cogi poſſint à Reſtoribus, vel Officialibus ſupradictis, vel alio de familijs ſuis.

IX. Item, quod Reſtores, et Officiales prædicti, tam qui ad præſens ſunt, quam qui erunt temporibus futuris, nullo modo per ſe, vel per alios, cogere poſſint piſcatores ad piſcandum pro eis, vel ad uendendum ſibi ſuos piſces, ſed debeant ab eis piſces emere pro uſu ſuo, et familie ſuæ prædictæ, prætio competente ſecundum ordines Patriæ, et ad loca ſolita, ut emunt, et ſpeciales perſonæ.

X. Item, quod factis uendemijs, menſura, qua uenditur uinum nouum tabernijs Ciuitatis Corphoi, debeat de menſe Octobris, bullari ſigno, ſeu bulla, quæ ordinabitur per Reſtores, recipiendo de bulla prædicta quantum eſt antiquitus conſuetum: ſed ſi uidebitur ipſis Reſtoribus, ad euitandas fraudes, quæ committi poſſint, ipſam menſuram bullari facere plus quam ſemel